DE PERTUSSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO...

Francesco Buzzolla

DE PERTUSSI
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

OBTINENDOS

CUM ANNEXIS THESIBUS PUBLICE

DEFENDIT

ANNO MDCCCXXVII

FRANCISCUS BUZZOLLA

EX PROVINCIA TARVISINA

PATAVII

TYPIS FRATRUUM PENADA

MDCCCXXVII.

INGENIO · ATQUE · DOCTRINAE

CELEBERRIMI · VIRI

GASPARIS · GHIRLANDA

PROVINCIAE · REGII · TARVISINAE · MEDICI

ILLIUS . URBIS · ATHENAEI · A SECRETIS · PERPETUI

PARISIORUM

MONTIS · PESSULI · MEDICIS · SOCIETATIBUS

ILLIQUE · OBSTETRICIAE · GOTTINGENSI

VENETIARUMQUE · ATHENEO

ADSCRIPTI

OBSEQUII · ATQUE · EXISTIMATIONIS : ERGO

NUNCUPAT · AUCTOR .

674

Sit Medici ratio experientiae praesidiis instructa
Sit experientia rationis lumine condecorata.

NOTIONES HISTORICAE

Antiquissimis jam temporibus Pertussim extitisse omnes concedunt Auctores; et ut Fridiricus Hoffmannus refert sub nomine tussis delassantis, suffocantis, faerinae jam ab Hippocrate commemorata. Nec improbabile est Pertussim ex Populis Africanis instar variolarum, morbillorum, syphilidis, aliarumque epidemiarum nobis latam fuisse. A sydhenamio Pertussis nomine, a Willis vero convulsivae nuncupatur. Sed ejus prima vestigia epidemice crassantis in operibus Mezeray, Pasquier, et Vallerialae in Gallia initio saeculi decimi sexti inveniuntur.

Perniciosa haec epidemia non tantum infantes, adultosque vero invasit et necavit. Eodem saeculo declinante, teste Marcello Donato, Wiero, Capivaccio in Italia fere tota exitiem patravit, et quam plures epidemiae dein, duratione, extensione, malignitate, atque medendi ratione, valde discrepantes, successere; Saepeque etiam morbillos, ant variolas, aliasque epidemias, ant praecurrentes, aut subsequentes aut cum iis copulatae toto orbe crassantes.

Morbi denominatio.

En frequentiores inter hujusce morbi denominationes: *Pertussis, Tussis convulsiva, spasmodica, suffocativa, faerina*, ab Italis *Pertosse, Tosse ca-*

nina, convulsiva A Gallis Coqueluche, A Germanis *Krampf-Usten, Blauver-Usten.*

Nominis Rationes.

Pertussis a diuturnitate morbi vocatur; Tussis convulsiva aut spasmodica, faerina quod adeo saevit, at eruciat, ut pactus, et pulmones valde costringat, et universum fere corpus convellat, et quatiat. A Gallis Coqueluche a syrupo papaveris rhaeados, vulgo coquelicot, contra hunc morbum utiliter adhibitum; aut verisimilius, a cucullonibus quibus dolentia aegrotolorum hac tussi laborantia capita involvi solebant.

Definitio.

Tussis eum charactere convulsivo, inter infantas ut plurimum, auctoritate summorum virorum contagiosa, epidemice, quandoque etiam sporadice crassans, et per paroxysmos incertis adstrictos intervallis aggrediens, cum difficili ac protracta, et peculiari inspirationa stridula, brevibus ac violenter protrusis exspirationibus subsequentibus morbum de quo agitur constituit.

Decursus et symptomata.

Tria hicce morbus stadia percurrere consuescit. Nempe stadium prodromorum seu evolutionis, catarrhale quoque dictum, stadium convulsivum seu acminis, et stadium decrementi.

Tussis levis, et sicca, caput ad frontem dolens, horror, et calor vicissim alternans, languentes oculi, narium catarrhus cum sternutatione, raucedine, sensuque lassitudinis cum febricula ad vesperas exacerbante, cum somno irrequieto, et anorexia stadium prodromorum constituit. Evenit tamen saepe saepius ut hocce stadium praetergrediatur,

et ex simplici refrigeratione derivetur. Hebdomadas spatio plerumque excurrit, sed hujusce stadii duratio, ex dispositione individuale, atque externorum et epidemiae crassantis influxu pendet.

Secundo morbi stadio seu convulsivo, vel morbo jam evoluto sequentia patent phaenomena. Sensus in trachea titillationis, et ad scrobiculum oppressionis, anxietas, pectoris angustia; Tussientes per aliquot minuta expirant tantum, minime inspirant, et fulcra quibus inuituntur, aut punctum fixum quaerunt vel ambabus saepe collum amplectando manibus laryngem comprimunt, quod si demum inspirandi facultas detur, raucam, et clangosam vocem veluti ejulatum quemdam edunt, aeque ob nimiam glotidis coarctationem eum difficultate ingreditur. Breves ut plurimum emittunt exspirationes, quae pulmones concutiunt, et aere expertes reddunt; donec muci tenacis, cerulescentis excretio, aut absumptorum quorumvis e ventriculo rejectio paroxysmo finem imponant. Sed pro vario vehementiae gradu quo morbus saevit, varia quoque phenomena insultus comitantur.

Paroxysmo duranto tument facie, et livent correpti, contremiscunt, venae, labiaque turgida atro caerulea, oculi ex orbita promincotes horridum praebent adspectum. Extremitates calorem amittunt, sodor a fronte prorumpit, sitis aliquoties urentissima; pulsus parvi, contracti, et intermittentes. Involuntarie non raro urinae et faeces ejiciuntur; cor palpitat, sanguis e naribus, et saepe ex ore oculisque fluit. In nonnulis sub paroxysmo evenit ut spasmus tonicus pulmones afficiat, quo in casu ni suffocatione corripiantur in lipothymiam aegri incidunt. Quare stadium hocce convulsivum per bene nuncupatur. Sed pro varia individuali constitutione, epidemiae energia, et pro vario morbi stadio varia quo-

que singuli insultus duratio observatur, quae tamen decimam horae partem generatim superaro ounquam visa est. Aliquoties insultus tantum nicthemeri spatio accidunt, ubi vero in culnune morbus versatur, paroxysmi omni media imo etiam quarta horae parte iterantur. Nullum porro definitum atque regulare datur tempus quo insultus exacta ingruant. Paroxysmi a pastu invalescunt, per noctem intensiores frequentioresque fiunt; quibus absolutis, si morbus simplex tantummodo sit noc non infantes satis robusti, primitiva hilaritate ad ludos revertuntur; sacus vero virium languor, morositas, habitus cachecticus et febricula intervallis a tussi liberis in scenam prodeunt. Non raro post insultus voracitas insurgit quo fit ut propinata quaevis avida absumantur. Hujus stadii duratio ad tres haebdomadas generatim protrahitur, et ultra, saepa saepius in id temporis spatium omnino cedit. Si vero mala sit constitutio individualis, noxia influxus externorum conditio, aut perversa methodus therapeutica in annum, et ultra quoque hocce stadium transiro potest; nisi prius mors accidat. Si res ad meliora procedant ad tartiam, aut quartam haebdomadam paroxysmi tam vehementia quam frequentia minuuntur, et simplicem affectionem catarrhalem praeseferunt. Pulmones vero praemagna debilitate, et sensibilitate praecipue laborant.

Tuno ingruit stadium decrementi quo liberior fit inspiratio, facilis sputorum coctorum excretio, tussis minus molesta, et morbus ocius vel serius termino tamen medio sumpto post duas haebdomades evanescit; nisi, ut aliunde diximus, potentiarum externarum influxus, aut individualis constitutio opponatur; vel forte morbo secundario supervemente vitao finis imponatur.

Morbi Caussae.

In remotas seu praedisponentes et occasionales, et in proximas dispartiri solent.

Praedisponit improvvida refrigeratio corpore aextuante, animi pathemata deprimentia, atmospherae perversa constitutio; et quamvis adhuc lateat quaenam aeris sit qualitas magis ad morbum de quo agitur favendum idonea, nihilominus frigidam, et humidam simul temperiem, ut in pluribus epidemiis evenire solet, favere arbitrator. Praedisponit quoque aetas infantilis, praecipue a primo nativitatis anno ad duodecimum usque, et singulari modo habitus gracilis, discrasia aliqua ut scrophulosa, et alia, nec non temperamentum sthaenicum excitabile, sed nequidem adultis parcet, et praeprimis debili, et fibra irritabili praeditis, ut gravidae, puerperae etc.

Caussa occasionalis in contagie, auctoritate plurimorum virorum est quaerenda.

In definienda porro proxima morbi caussa, magnum inter Auctores viget discrimen. Alii rheumaticam materiam in diaphragmate inherente figunt. Alii ex subtili irritamento nervos pectoris, et praesertim par octavum, et nervum phrenicum modo speciali lacessante originem morbi explicare conantur. Alii in insectulis nervos irritantibus, et alii demum sedem, et caussam in ventriculo quaerunt, et tantummodo symptomatico adfectos pulmones credunt; ex quo fit ut nomine tussis stomachalis pertussim denotare videntur.

Sed arduum certe est inter tot tantasque auctoritates dirimere rem, et tironi experientiae orbato fore objiciendam. Salva porro quacumque auctoritate si phaenomena quibus morbus se se ostendit attente consideremus proximam in respirationis organo, quaeri caussam posse minime rationi contrarium est,

Diagnosis.

Est igitur tussis convulsiva morbus sui generis, neque cum tussi symptomatica, neque aliis cum affectionibus pectoris, cumque aliis epidemiis confundi potest. Non raro scarlatinam, morbillosque praecurrit. Qui semel tussim convulsivam habuerint, nunquam corripi ab ea nonnulli arbitrantur. Ast teste plurimorum experientia pluries hiecce morbus eodem individuo injuriam intulit. Indolem quoque peculiarem irritativam cognoscit. Qua de re morbus vel simplex manifestatur irritativus, vel aliis cum diathesibus, cumque aliis affectionibus conjungitur, quo in casu complicatus observatur. Simplex regulariter sua stadia percurrit; et paroxysmo absoluto vix pro aegrotante correptus habetur. Complicatur cum diathesibus, et per saepe a primordiis cum iperstbaenia quo in casu proprius phaenomenis dignoscitur. Complicatur cum morbis exanthematicis, angina poliposa seu croup, (cujus differentia adest quod in croup acutiores, frequentioresque sunt insultus, et fixus in trachea cum stridula voce dolor inaeret) cum gastricis febribus, verminosis, nec non epidemice crassantibus, quarum complicationum existentia ex symptomatibus unicuique morbo propriis discernitur.

Prognosis.

Pro diversa morbi intensitate, ac extensione prognosis quoque erit diversa. Pertussis hyeme frigido et humido tempestatesque exsuscitanti epidemice evolvens, quod saepissime accidit ad protractum usque verem cruciare solet. Dum porro se se ostendit vere, aestate superveniente facilius dissolvitur. Cum febre gastrica, putrida verminatione, dentitione, cumque exanthematibus copu-

late maxime offert periculum. Impetigine, lactime, Psore, Tinea supervacientibus bonum. Epistaxis vero medioeris noodum timenda, praesertim in plethoricis. Haemophtysis quoqoa cum respirandi difficultate perienlosa. In gravidis sub paroxysmo manorrhagia abortum provocat. Sudor, levisque diarrhea minime infert periculum, imo levamen. Patat ab experientia quod in stadio decrementi, febricula vespertioa cum sputis sanguineis, et purulentis, tabem pulmonum minatur; et praeprimis si adest faciei, pedumque edema in leucophlegmatiam, hydropem ascitem, hydrothoracem, inqoe alios gravissimos degenerat morbos; et si vehemens sit, hernias, et organica quoque praecordiorum vitia, sincopemque producit. Non vero disruptis cerebri vasis in laethalem transit apoplexiam. Periculosissima observator in infantibus unius anni, et praeprimis ex parentibus adversa valetudine laborantibus ortum ducentibus, aut prave thoracis conformatione praeditis. Miseri porro pro Indigentia, et pro utilium inopia tam in cura, quam in prophylaxi quam maxime patiuntur.

De Cura.

Ab experientia constat quod plurimis in contagiis nisi a primordiis usque extingui morbos possit, liceat saltem ab expellentibus, totum corpus excutientibus, et rite adhibitis, leniri possint symptomata compertum est; cui fini emesis pro variis circumstantiis iteranda praecaeteris inservit; cujus actione tam nauseaote, quam motum antiperistalticum ciendo, et pulmones consequenter excutiendo efficitur, ut materies mucosa, simulque irritans quae secernitur, elimioetur, et melius organo respirationis se se gerant. Inter emetica tartarum stibiatum, et in primis radix eminet Ipecacuanae, cujus dosis a

tribus ad sex grana in infantibus a primo ad decem annos, et duplex majorem dosis aetatem gerentibus. Sed pro vario temperamento, constitutione, sexu, nec non sensibilitate est dosis modificanda. Post emetica, stibii praeparata ut Kermes minerale in mucilagine gummi arabici, et syrupo simplici solutum a nonnullis laudantur, et alia quoque pharmaca a diversis Auctoribus, emeticis praemissis, commendantur, ut Arcanum Dupplicatum, Oxymell Scillitieus, Gummi-ammoniacum, Sapo Medicinalis, Atropae Belladonna radix, Cicutae extractus, Moscus, Opiata, Camphora, Assa faetida, et similia. Sed emollientia post emetica, interius sumpta, melius mihi juvare videtur, ut infusiones florum sambuci, verbasci, Chammemelli, decoctiones florum, foliorumque Malvae, radicum Althaese, emulsiones et similia. Si eruptiones cutaneae tussi convulsivae ingruente evanuerint ad vesicatoria confugiendum. Sed quod magni est momenti ut irritatio pulmonaris imminuatur, summopere stimulus conducit externus, et praemagnam laudem unguenti Autenrieth frictio ad sterni regionem obtinuit, donec evolvantur pustulae. Quod unguentum ex axungia suilla, aut butyro recenti insulso cum tartaro stibiato paratur. Si in tertio morbi stadio ut persaepe contingit vires deficerent, decoctiones, et gelatina lichenis Islandici, Martialia, et infusiones Chinae Chinae frigidae optimum praebent auxilium.

Cura in irritativa Ipersthaenica.

Ad debellendam organismi exaltatam energiam quosdusque ad simplicitatem morbus sit redactus primum erit officium; cujus symptomata pateat ex pectoris oppressione, pulsu tenso forti, ac pleno, oculis, et facie atro rubicunda, nec non temperamento sthaenico excitabili, et sanguine ex ore, na-

ribus, et auribus per saepe sub paroxysmo manente, quo in casu nil magis prodest quam phlebotomia pro indicatione repetenda; deinde ad hyrudinum applicationem si opus est confugiendum. Cathartica ut Manna, syrupus Cichorei, et similia antiphlogistica non negligenda, sed caute praescribenda ne vires aegri opprimantur. Diathesi devicta remedia erunt adhibenda simplici in irritativa pertussi indicata.

Cura in irritativa Iposthaenica.

Non raro post antiphlogisticorum abusum, nisi sub initio morbi insurgat, io iposthaenicam commutatur pertussis, et praecipue in asthaenicis, tempore aestivo, et humido, et malo corporis habitu donatis. A sanguinis missione, atque ab aliis debilitantibus cavendum, et stimulantibus, atque roborantibus tantummodo confugiendum.

Cura in aliorum morborum complicatione.

Inter morbos quibus frequentius pertussis copulatur, gastricismus, et vermicatio recensetur. Cui fini, tartarus emeticus epicratice sumendus, ad saburras gastricas ejiciendas magnam promeruit laudem; quod si Aegrotuli hocce remedium respuerent, cathartic is, ut manna, syrupo cichorei cum rheo et mucilaginosis, et oleosis si irritatio intestinalis adest, nec non clysmatibus emollientibus utendum erit. Si vermium complicatio existat nonnulla calomelani grana pro aetate, et sensibilitate modificanda, et alia anthelmiotica praescribenda. Sed Mercurialia caute adhibenda ne phtialismo, et irritationi vasorum systematis linphaticorum originem praebeant. Quandoque multum pulpa assae cepae cum melle virgineo attulit levamen. Sic complicatione debellata morbo ut in simplici irritativo dictum fuit succurrendum.

De Prophylaxi.

Quoad prophylaxim sani non tantum ab aegrotantibus sed suspecti quoque a convalescentibus sunt secernendi, summaque rerum infectarum cura habenda.

Regimen Diaetheticum.

In stadio invasionis, et acminis praesertim consilio, et maturitate diaetha moderanda erit. Carnes, spirituosa, et quaevis acria vitentur, ne sthomaeus nimis tam qualitate quam quantitate alimentorum opprimatur. Aegrotuli tantummodo diaetha lactea, jusculis galinaceis, aut ptisana hordeacea, et prunis coctis, pomisque nec non pulmentis hordeaceis nutriantur; sit aer temperatus, potus calidiusculus ut tenuis promoveatur sudor. Somnus conciliandus; motus praecertim blandus in irritativa iposthaenica ut materies mucosa facilius secernatur praescribendus. E motu vero fortieri, vaporibus, odoribusque irritantibus, animique pathematibus affectio molestissima fit, et in morbos pertinacissimos facillime migrat.

Cadaverum Autopsia.

In Cadaverum autopsia ex pertussi, vel potius ex morbis subsequentibus serum in ventriculis lateralibus cerebri invenit Josephus Franck. Illius venas eruore turgidas et similia vidit Mandruzzato. Idem Franck tracheam lympha coagulabili replatam, glandulasque bronchiales praeter modum reperit. Watt, et alii pleurae inflammationem, bronchiorum et pulmonum, illorumque cum pleura costali adhesionem, et phlogosim superficiei superioris diaphragmatis cum pericardio concretionem; et Autenrieth ruborem paris vagi in cavitate thoracis decurrentis, et

hepar quidem normale, sed adeo in thoracis cavum propulsum, ut regionem mammae dexterae occuparet.

Aliaque ab aliis Auctoribus vestigia inflammationis huc illuc, et etiam in ventriculo reperta fuere, ex quo factum est ut in ventriculo sedem, et caussam pertussis nonnulli posuerint. Alii contra nil morbosi in ventriculo, nil in nervo vago, nil phraenico quoque nervo ad proximam ejus caussam statuendam invenerunt.

<<<

THESES

I.

Abortiva, propriae dicta, praeter machanica dari non possunt.

II.

Contra calculos organorum pharmaca uropoeticorum minime dantur.

III.

Phlebotomia rite, at sapienter celebrata praemagnum est artis salutaris praesidium.

IV.

Hydrostatica pulmonaris certe factum post partum vixisse minime ex se probat.

V.

In corneae ulceribus cum irritativa phlogosi ad continui solutionem plus quam ad phlogosim in medela ratio habenda est.